



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An pœnitens tenetur acceptare & implere Pœnitentiam rationabilem
injunctam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

ipse charitatis, quo quis applicat aliis satisfactionem sui operis, habet vim satisfactivam; hanc enim habet omne opus meritorium.

Q. 6. *An pœnitens tenetur acceptare & implere Pœnitentiam rationabilem injunctam?*

Resp Aff. Quia Sacerdos habet potestatem judiciale[m] non solum solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi per impositionem Pœnitentiæ, ex Trid. c. 8. cit. Imò habet obligationem imponendi convenientem satisfactionem, ut ostendi: at talis potestas, & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in Reo talem satisfactionem injunctam acceptandi, & exequendi: hæc enim sunt correlativa, & alioquin Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. 2. Ex Conc. Later. c. *omnis ibi. Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* 3. Quilibet subditus tenetur obedire Judici, & Superiori justam sententiam ferenti. At Sacerdos, cui pœnitens per Confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut Superior, & Judex; & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine, ac auctoritate ligat, sicut absolvit. 4. Ex Trident. sess. 14. can. 4. Satisfactio est pars Sacramenti, nempe integralis, & à Deo requiritur ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem. Pœnitens autem tenetur servare integritatem Sacramenti, præsertim cum ad illud concurrat. Quare hæc ob-
liga-

ligatio ex genere suo gravis est, cum ejus materia pertineat ad Religionem, & justitiam divinam.

Nec excusatur Pœnitens eò, quòd velit alium adire: nam non licet pœnitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis justum judicium, cui se jam subjecit. Pœnitens quidem ante Confessionem poterat alteri confiteri, sed facta Confessione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, ejusque auctoritate ligat; *nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent: ait Trid. sess. 14. c. 8.*

Hinc mortaliter peccat, qui Pœnitentiam pro mortali impositam, vel notabilem eius partem culpabiliter omittit: nam qui tenetur aliquid præstare, ad id obligatur per se sub mortali, si res gravis sit. Quòd si sit levis, & imposita pro solis venialibus, vel mortalibus iam aliàs confessis, secundum multos est duntaxat veniale illam omittere, secluso contemptu, & scandalo: quia completio integralis partis per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiæ. Aliqui tamen putant esse mortale: quia gravis irreverentia Sacramento infertur, illud privando tota sua integritate, & complemento non accidentali. Et quamvis hæc materia secundum se sit levis; tamen gravis censetur respectu Sacramenti, cum sit ejus tota pars integralis. Delugo fa-
tetur

tetur esse mortale omittere satisfactionem pro solis venialibus impositam, si hæc gravis sit, v.g. ieiunium: quia obligatio eam implendi oritur à potestate iudicis, & res præcepta est gravis, & capax præcepti gravis.

Imò si Confessor leviozem pœnitentiam imposuisset, Pœnitens tenetur supplere: nam lege divina tenemur satisfacere Deo in hac vita etiam pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita, ut constat 1. Ex Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Per ieiunium intelligitur omne opus pœnale. Item ex Matth. 2. *Pœnitentiam agite.* & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* quæ duo ex Trid. sess. 6. c. 14. non solum Contritionem, & vitæ emendationem significant, sed etiam *satisfactionem per jejunia, elemosynas, orationes, alia pia spiritualis vitæ exercitia, pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in Baptismo, dimittitur.* 2. Ex præcepto naturali, & divino virtutem pœnitentiæ tenemur, quantum possumus, Deo plenè satisfacere in hac vita pro injuriis ipsi illatis: nam ipsa ratio dicat, Deo non minus, quàm hominibus plenè satisfaciendum esse, quàm primum fieri potest moraliter. Hæcque obligatio gravis est pro mortalibus.

Porrò ex Trid. sess. 14. c. 9. satisfacimus Deo non solum piis, ac laboriosis operibus à Sacerdote injunctis, vel sponte susceptis, sed

etiam malis, ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Q. 7. Quandonam Pœnitens tenetur implere Pœnitentiam?

Resp. Tenetur tempore à Confessore præscripto; nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen satisfactionis ad paucos dies, etsi sine necessitate, potest esse tantùm venialis, nisi ad finem iniunctæ pœnitentiæ magni referat illam impletam esse tempore præfinito, v. g. ad superandas tentationes urgentes. Quod si Confessor nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem implere quàm primùm commodè potest; ita ut peccet mortaliter, si illam ex gravi negligentia diu differat: nam integritas Sacramenti, & ratio debiti, iustæ satisfactionis, ac Medicinæ, & rationabilis intentio Confessoris executionem celerem exigunt.

Qui autem Pœnitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea, quàm primùm potest persolvere: nam dilatio solutionis debiti ultra terminum, non liberat debitorem onere illud solvendi; & intentio Confessoris est, ut satisfactio absolutè fiat; tempus verò præfinitur solùm ad non differendam solutionem.

Q. 8. Quomodo, & in quo statu impleri debet satisfactio?

Resp. I. Satisfactio impleri debet ex motivo

pio,